



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Bernardus Abb. 20. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

20. Aug. VITÆ SANCTORVM. 405  
abit, & in viâ ecce castitati cibum potumque è  
cælo Ales ministrat. In reditu apud Ratisponen-  
ses foco, cùm ligna deessent, glacies inservit, &  
adèò virtuti jam unda flamas præbet. Quid?  
pallio instrato Istrum trajicit (Nymphis credo ca-  
stitati plaudentibus) talisque nauta oculos alteri  
nautæ immerito effosso restituit. Moritur deinde  
anno D.CC.XL. cùm vitam solum propter No-  
rimbergam egisset. Funus feri tauri duxerunt.  
Adèò omnia alia domat, quisquis carnem. Ex  
Bar. S. Raderi.

Ah quando tantum Deo, quantum mundo? quando  
tantum cælo, quantum terra? quando tantum virtuti,  
quantum vitiis fragilitas humana famulatur? Totus  
homo sic carni deditur, ut nihil in se, quod divinis bonis  
deserviat, derelinquat. S. Pet. Chrys. serm. 114.

S. BERNARDUS ABB. 20. Augusti.

BERNARDVS est, ille (invidete Mariani) Dei  
collactaneus, quem mater cùm utero ferret,  
catellum putavit, sed pro Ecclesiâ latraturum.  
Pueno puer CHRISTVS nocte Natalitiâ visus est,  
nobilis omni die spectaculum. Adolescens quòd  
oculum in feminam defixisset, in rigentes aquas  
insiliit, incendia aquis præventurus. Alias cùm  
ejus pudori insidias hospita strueret, lairones, latro-  
nes iterum iterumque clamavit, ratus dirissimos  
prædones esse, qui animum castitate exuerent.  
Hinc ad Cisterciense Monasterium XXX. secum  
socios traxit. Hos inter cùm fratres omnes BER-  
NARDI præter Nivardum natu minimum essent,  
& huic Guido natu maximus inter vale dicendum  
dixisset: *Eis frater te unum iam hereditas paterna  
spectat;* supra omnes fenes doctè puerulus respon-  
dit:

dit: Pulchrè verò assēm dividitis; vobis cælum habetis, mihi terram reliquam facitis: at hoc fide profecto minime germanâ. Mox cùm per ætatem licuit, fratres securus litem de cælo illis non ingratam fecit. Eruptionem BERNARDI loquuntur ejus Volumina meros favos spirantia, cum præcipue cùm de melleâ VIRGINE sermo est; ut meritò ex hujus uberibus haufisse hoc nectar credamus. Sed & nobis iudicem fontes essent, si eadem cum BERNARDO sitis esset. Ex vitâ ejusdem.

Mundus transit & concupiscentia ejus, & relinquere hac magis expedit, quam relinquere. Sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquise. S.Bernard.sup.illud.Eu. Ecce nos.

S. STEPHANUS REX. 20. Augusti.

**S**TEPHANO nomen necdum nato ipse STEPHANVS Protomartyr indidit. Sponsam duxit Giselam D. Henrici Imp. sororem. Hæc illi Emericum, cæterum Christo omnes Ungaros peperit. Tutelam sibi regnoque suo æternam Castrorum Aciem ordinatam VIRGINEM MATREM legit. Hujus enim auxilio copias Conradi Imp. jam Ungariæ imminentes avertit. Ipse inter omnes milites maximè sanctas Vigilias nocturnas habuit, sed preces inter; visumque sub his ipsum aliquando tabernaculum regium Angelis bajulis humo sustolli, & tunc per aërem mox per omnium hominum ora volare. Trophæa pietatis suæ templaque cœnobia per totum orbem sparsit. Miseros ingeniti charitate complexus non dubitavit deademate ornatum caput manusque sceptro armatas ad horum pedes abluendos demittere, sportulamque in clientes ipse dispensare. Quare factum aliquando,